



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Locutio Dei Ad Cor Religiosi


Pawłowski, Daniel

Leodii, 1701

III. Meditatio: De peccatorum pœnis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)



DIEI SECUNDÆ

MEDITATIO III.

*De punitis & puniri solitis à
DEO peccatis.*

Integrum eâ de rebus habet S. P. N. Exercitium primum Hebdomadæ primæ, in quo explicat peccatum Angelorum, primorum Parentum, & quodlibet particulare.

ORATIO PRÆPARATORIA, & PRÆLUDIUM I. *ut supra.*

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam sancti timoris, & horroris peccatorum.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem: *Ezech. 5. Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis.* Hoc audiens considera indignationem Domini, & ultionem super Luciferum, ob unum peccatum superbiæ, ob quod corruit semel pro semper, totâ Divinitatis dexterâ percussus, & rudentibus inferni detractus. Considera quoque pœnam primorum Parentum, ob esum unius pomi, occasione cujus impletur hucusque hominibus infernus: pœnam Cajni, ob unum fratricidium
in

in reprobum sensum dati, & tandem damnati: poenam Saul Regis, ob abjectum sermonem Domini à Domino abjecti. Ingredere præterea infernum cogitatione, & videbis ibi innumeros, propter unicum peccatum æternùm damnatos: & non disces alieno malo timere? Etiam si non in Religione solum, sed in cælo cum Lucifero esses, time, nec contemnendas putes etiam minimas Paradisi tui, id est Religionis tuæ, prohibitiones, etiam circa esum unius pomi.

II. Audi Deum dicentem, *Isaie 5. Væ! qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustrum peccatum.* Hoc est væ horrendum, seu formidanda poena, quâ puniuntur peccatores, *vinculum seu colligatio impietatis*, quando nimirum propter unum peccatum justè permittuntur prolabi in aliud, & rursus propter hoc in aliud, donec perveniatur ad ultimam ruinam, & fiat peccatum eorum peccans peccatum: quia enim semel peccârunt, reddiderunt se indignos speciali auxilio ad vitandum aliud peccatum, atque solâ sufficienti gratiâ supernaturali instructi, illam ipsam inefficacem reddiderunt, miseramque iniquitatis colligationem effecerunt, usque ad compedes & catenas inferni. Hoc altè in cor demisso, procide coram Deo, & per viscera misericordiæ ejus

pete, ne te puniat poenâ permissionis peccati, elige potiùs poenam infernalem, quàm hanc permissionem.

III. Audi Deum dicentem, *Isaia 6.*
Excaca cor populi hujus, & aures ejus aggrava. Hæc est maxima & ultima poena, quâ in hac vita puniuntur peccatores, Excæcatio, derelictio, ultima impœnitentia, dum per iterata liberè peccata merentur privari ultimâ gratiâ efficaci ad poenitendum. O poenam, ad quam omnia omnium creaturarum corda immutentur! nōne immutaberis & tu, Religiose?

COLLOQUIUM. Scio Domine JESU, quòd nolis mortem peccatoris! per eam ergo mortem, quam pro peccatoribus misericordissimè subiisti, peto à te, ne punias me permissione peccati, & excæcatione cordis! Pretiosissima Dei Mater Maria, quæ peccatores non abhorres, avertte à me infelicitatem istam! potiùs moriar, potiùs inferno ardeam, quàm ut peccem! In fine Pater, & Ave, &c.

